corporali: per nuptias? Sed hæ pertinent ad opus parentum, quos in actu nubendi constat non peccasse. Certe non peccat iste qui nascitur, non peccat qui genuit, non peccat animæ conditor Deus. De quæstione ista visum est Augustino consulendum esse Hieronymum in Judæa tunc versantem in Bethlehemitico Monasterio. Commodum acciderat, ut Paulus Orosius Presbyter Hispanus gratiam suam indignatus erroribus Priscillianistarum & Origenistarum perverti, in Africam ad Augustinum percelebris famæ accesserit, rogans illum ut erroros grassantes suis refelleret scriptis. Quamtem Augustinus cumulate præstitit, & vicissim Orosium hortatus est, ut historiam adversus paganos contexeret, cui ille paruit, eidemque suam historiam dedicavit. Ab eoque mandatum accepit in Judæam ad Hieronymum contendendi, litteras quas ad ipsum scribebat deferendi de peccati originalis propagatione. Anxius enim erat, cum tamen nihil afferere auderet, si ex Adami anima in ipsius posteros traduce derivaretur id peccatum: qua de re ipse Augustinus prolixe disputat in sua ad Optatum epistola 157. Ipse quoque Hieronymus scribit epistola 45. ad Marcellianum, quomodo corpus a corpore, sic animam ex anima nasci, Tertullianum, Apollinarem, majoremque Orientalium partem existimare. Somniabat præterea Origenes animas olim in cælo creatas a Deo fuisse, indeque pro peccatis dum in cælo versantur, commissis, ad corpora isthæc infirma relegari ad pœnam; Hæret vero Augustinus libr. 5. contra Julianum cap. 3. *Profecto, inquit, aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vase vitiatum corrumpitur, ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam dicere quod nescio.* Sane Aristoteles lib. 2. de generat. anim. docet, sola edoctus ratione naturali, νῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι τὸ θεῖον εἶναι μόνον, mentem solam extrinsecus accedere, neque educi de materiæ potentia, solamque divinam esse. Theologorum autem frequens judicium est, animas rationales a Deo ex nihilo creari omnis expertes vitii, sed vitiari in ipso corpore traduce ex Adamo, quemadmodum aqua ex limpido fonte hausta conspurcatur simul ac in vas obscœnum effusa est.

Nec solum circa peccati originalis diffusionem errabant Pelagiani, quam frequentissime utriusque Testamenti commemorant paginæ, verum etiam circa supernaturalem Dei gratiam, quam ad singulas propemodum periodos utriusque fœderis oracula commendant. Illa porro superba hæresis, quidquid boni est, ad solum hominis liberum arbitrium instar gentilium referebat. Hinc prodeunt illæ Pelagii impiæ ad virginem Demetriadem voces: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre potest. In his ergo jure laudanda, in his merito ceteris preferenda es, quæ nisi ex te & in te esse non possunt.* At vero detestabilior nulla esse superbia potest, quam illa, qua sese supra Deum ipsum audet efferre mortalis vitiisque innumeris obnoxia de se creatura. Cotta apud Tullium in has erumpit nefarias voces: *Quia sibi quisque virtutem acquirit, neminem unquam acceptam Deo retulisse: propter enim virtutem jure laudamur, & de virtute recte gloriamur: quod non contingeret, nisi id donum a Deo, non a nobis haberemus. Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a seipso sumendam esse sapientiam.* His non absimilia scribit Seneca epist. 53. *Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum: Ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis securitatem Dei.* Idemque epistola 124. *Unum bonum est, quod vitæ beatæ caussa & firmamentum est sibi fidere.* Suppuduit Pelagium, qui Christianus videri volebat, gratiæ Divinæ repudiationis: ideoque moderationem pristinæ blasphemiæ hanc adhibuit, addens liberum arbitrium referendum esse ad gratuita Dei dona, qui nullis præcedentibus meritis donum istud hominibus contulit, sine quo neque bonum agere, neque malum vitare homini conceditur: his postmodum Pelagius gratias, quas vocat legis & doctrinæ, adjunxit, deinde Christi exhortationes & exempla, peccatorumque remissionem. Sed hæc dona externa sunt, gratiam autem interius operantem non modo intellectum illuminando, (quam etiam ad ultimum admittebant Pelagiani) sed etiam quæ voluntatem proxime immediate præveniebat & invicte movebat, eique non solum possibilitatem, (quod neque abnuebat Pelagius) sed ipsum velle atque operationem efficacem impertiendo per intima auxilia negabat. Quæ omnia & singula fuse discernit & explicat Augustinus l. de gratia Christi cap. 3. 4. & 5. Qui insuper ait cap. 24. Intueantur & fateantur non lege ac doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: *Hoc exigitur a Pelagio, non solum ut fateatur revelationem doctrinæ, qua intellectus illustretur, sed etiam subministrationem virtutis, qua voluntas immediate a Deo moveatur efficacissima & certissima inspiratione, sine qua nec bonum velimus, neque malum evitemus.* Suamque mentem ibi & alibi passim Scripturæ sacræ testimoniis innumeris roborat. Tandemque ita concludit: *Si ergo consenserit nobis Pelagius non solam possibilitatem in homine, sed ipsam quoque voluntatem & actionem divinitus adjuvari: nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Milevitanum autem Concilium canon. 5. omnem amovit disceptationis ambiguitatem, his verbis: *Item placuit, ut quicunque dixerit, a Deo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed possimus tamen etiam sine illa implere Divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed ait: Sine me nihil potestis facere.* Joann. 17.

Quamvis Apostolus Rom. 21. diserte doceat, quænam sit notio & conditio gratiæ, dum ait: *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia:* Pelagiani tamen rerum ordinem intervertentes hominem gratiam demereri asserebant virtute actuum liberi ac naturalis arbitrii. Ex adverso Catholici contendebant, non eo gratiam conferri, quia bene quis voluerit, sed eo voluisse bene quia Deus gratia sua illum prævenerit, per quam excitavit in eo cupiditatem boni: alioqui enim priores fore partes liberi arbitrii, posteriores Dei. Unde Augustinus lib. 1. contra duas Pelag. epist. cap. ult. *Pelagianis non immerito anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ, quæ venit per JESUM Christum Dominum nostrum, ut eam dicant non gratis, sed secundum merita nostra dari, ac si non sit gratia: tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant hominem mereri gratiam, cum bene illo uti non possit, nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.* Quanquam igitur per fidem & invocationem Dei adipiscamur spiritualia dona, non tamen natura hinc jactandi se caussam habet, fides enim & invocatio Dei ex præcedenti gratia dimanant: Unde sanctus idem Doctor epist. 105. ad Sixtum Papam hæc ait: *Ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiam ad vincendas rerum temporalium cupiditates, & diligenda bona æterna atque ipsum fontem omnium bonorum. Domini adjutorium datur oranti: Fides erat, quæ data est non oranti: quæ utique nisi data esset, orare non posset, attestante Apostolo Rom.* 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Idem Augustinus de gestis Pelag. cap. 14. & Prosper adver. collat. cap. 10. testantur, Pelagium in Synodo Palæstina doctrinam tradentem, quod gratia secundum hominis meritum detur, adeo visam damnabilem, ut Pelagius ne ipse damnaretur, illam anathematizare se simularit. Synodus præterea Arausicana cap. 17. *Spiritus sanctus datus est nobis, nullis meritis gratiam prevenientibus.* Et can. 18. *Debetur merces operibus, si fiunt: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

Occasione librorum S. Augustini contra Pelagianos factum est, ut aliqui ex Monasterii Adrumetini Monachis disceptaverint inter se haud intellecta Augustini mente; quorum nonnulli videbantur gratiam Dei excludere, ut liberum relinqueretur arbitrium: existimantes, gratiæ admissionem efficacem & infallibilem prorsus abolere hominis inter utramque partem libertatem: alii e diverso ut gratiam victricem stabilirent, liberum arbitrium convellebant. Quam ambiguitatem Augustino Valentius Monasterii Præpositus suis litteris significavit. Augustinus vero ad eum duos rescripsit libros, quibus ostendit libertatem cum gratia egregie ad bona opera convenire, unum, de gratia & libero arbitrio, alterum de correptione & gratia: in quibus luculenter probat, per efficaciam gratiæ, quam ipse prædicabat, minime auferri libertatem neque necessitatem aut utilitatem correptionis. Idemque utriusque meminit lib. 2. retractationum cap. 66. sic dicens: *Propter eos qui quum defenditur Dei gratia, putant auferri liberum arbitrium, scripsi librum de gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsit Monachos Adrumetinos, in quorum monasterio hac de re cœperat esse contentio, ita ut me consulere aliqui cogerentur. Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cum mihi nunciatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum si Dei præcepta non facit, sed pro illo ut faciat, tantummodo orandum.* His perlectis Monachi Adrumentini ab utro-

ab utroque errore resilierunt: sed plane contrarium idem liber de correptione & gratia operatus est in Gallia apud Massiliam: unde lectis quæ de proposito divinæ voluntatis & prædestinationis ibi scripta sunt, & de efficacia divinæ gratiæ, qua moveri prædicatur indeclinabiliter nostra voluntas, scandalum passi sunt, mediamque viam excogitaverunt inter nostram & Pelagii doctrinam, ut credant cum Ecclesia Christi contra Pelagii dogma peccato primi parentis obnoxium nasci humanum genus, nec ab illo malo nisi per justitiam secundi hominis liberari. Præveniri quoque hominum voluntates Dei gratia: atque ut ad nullum bonum opus vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Sententiam vero Augustinianam sic moderandam duxerunt, ut Deus quidem universali vocatione omnes pariter ad fidem & baptismum invitet, sed ut vis & efficacia ejusmodi vocationis ex humana dependeat voluntate, decrevere, ut quisquis credere & baptizari voluerit, eo ipso merito quia voluerit, & fidei & perfectæ sanctitatis augmentum consequatur. Unde volunt, gratiam non requiri ad salutis initium, id est ad credendi voluntatem, ipsamque fidem initialem, ad quærendum, petendum & pulsandum sufficere: atque inde pendere discrimen eorum, qui efficaciter vocantur, aut non vocantur ad fidem & salutem: quippe qui ab æterno fuere a Deo vocati & prædestinati, vel e contrario reprobati: quia scilicet Deus efficaciter vocat eos, qui præviis hujusmodi initiis tamquam humanis meritis vocari meruerunt; & quos præscivit hæc initia habituros, suaque gratia bene usuros, aliis omnibus rejectis, in quibus ejusmodi initia naturalia & bonum gratiæ usum, liberique arbitrii cooperationem non prævidit. Itaque Semipelagiani ea in re cum Pelagianis conveniebant, ut primam gratiam & vocationem ex meritis bonæ voluntatis dari, & ex initiis imperfectæ fidei, qua movetur naturalis libertas, ita ut ex homine sit initium justificationis, quo homo naturalibus suis viribus ad gratiam se præparat absque auxilio divinæ gratiæ, quæ postea superveniens consummet, ut liquet ex Hilarii & Prosperi ad Augustinum litteris, & ex hujus ad utrumque responsis: qua occasione ad submovendas difficultates, suamque comprobandam, quæ illi cum Ecclesia communis est, doctrinam, duos contexuit præclaros libros de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ. Ipsi vero Semipelagiani peccatum originale in infantibus propagari censebant, & in hoc Pelagii errores respuebant.

Præter Synodos, quas permultas attuli, quibus hæresis Pelagiana sententiam damnationis accepit, supereminet œcumenica Ephesina anni 431. Cœlestino Pontifice & Theodosio secundo imperante, quæ can. 4. sic decernit. *Εἰ δέ τινες ἀποστατήσειεν τῶν κληρικῶν, καὶ πολμήσειεν ἢ κατ' ἰδίαν ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι, καὶ τούτους εἶναι καθῃρημένους ἀπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δεδικαίωται. Si quis autem clericorum defecerint, & ausi fuerint quæ Nestorii sunt aut Cœlestii sapere, sancitum est a sancta Synodo istos quoque a communione sejungi.*

IN QUIBUS A PELAGIANIS

differant Semipelagiani.

UTramque sectam suscitatus a Deo Augustinus gratiæ divinæ patronus sic invicem discernit libr. de prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium cap. 1. *Pervenerunt isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis, aliquem liberari. Pervenerunt etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere consentiant. Retenta ergo ista, in quæ pervenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore discernunt.* Hoc tamen in Augustini sententia temperamentum exigebant, ut Deus quidem universali vocatione omnes pariter ad fidem & baptismum invitet, sed vis & efficacia hujus vocationis ex humana pendeat voluntate, ut quicunque credere voluerit, & baptizari, eo ipso merito quo voluerit, & ipsius fidei augmentum & perfectæ sanctitatis consequatur effectum. Volebant itaque gratiam non esse necessariam ad salutis initium, quale esse credebant voluntatem credendi aut petendi, quærendi, pulsandi; ad hæc enim sufficere liberi arbitrii naturales vires, atque ex istis initiis pendere discrimen eorum, qui vocantur, aut non vocantur efficaciter ad fidem & salutem; quippe qui fuerint ab æterno electi & prædestinati, vel reprobati: Deum enim efficaciter vocare, qui præviis istiusmodi initiis tamquam humanis meritis vocari & prædestinari meruerunt. Et quos præscivit ista initia habituros, suaque gratia bene usuros, prædestinaverit ad salutem: rejeceritque alios omnes, in quibus hæc initia naturalia & bonum gratiæ usum, ipsam denique liberi arbitrii cooperationem non prævidit. Sic enim ait Prosper in epistola ad Augustinum: *Hæc ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; universis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint: qui autem crediturí sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futura electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit: ideoque omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda æterna vita nemo desperet, cum voluntariæ devotioni sit parata.* His conformia profert Hilarius Epist. ad Augustinum: *Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde posse quemquam proprio arbitrio liberari: sed id inconveniens asserunt veritati, ut cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo crediderint & voluerint a suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Ex quibus infertur, eam fuisse Massiliensium mentem, ut vellent quidem humanam voluntatem prævenire ad quodcunque bonum opus vel incipiendum vel perficiendum, non tamen illo genere gratiæ, quod astruebat Augustinus contra Pelagianos, scilicet operante ipsum velle ac perficere. Illud enim ipsi quoque Massilienses rejicientes erant, quasi fatale & cum libero arbitrio incompatibile, sed sufficiens tandem ad excitandam libertatem in opus bonum, cui si libertas obtemperet, alterum succedat ex parte Dei adjutorium, quo libera voluntas roboretur ad perficiendum inspiratum a Deo bonum & in illo perseverandum: consentiebant quippe liberum arbitrium peccato saucium pristinas ad bonum vires amisisse, ideoque gratiam Dei esse necessariam ad actus meritorios & ad vitæ supernaturalis opera. Itaque necesse esse ut infundatur gratia per baptismum, aliave Sacramenta, aliaque media per Christi mortem humano generi collapso comparata.

Volebant ergo, DEUM universali vocatione omnes pariter homines in peccatum, sive originale, sive actuale collapsos invitare ad gratiam justificationis, sed vim hujusce vocationis ex humana pendere voluntate, ut quicunque credere voluerit & baptizari, eo ipso merito quo voluerit, & ipsius fidei augmentum & perfectæ sanctitatis consequatur effectum. Esse enim in homine lapso, una cum naturali libero arbitrio per peccatum debilitato, sed non plane destructo, naturæ rationalis quædam virtutum semina semisopita, ad quæ cienda & excitanda requiritur interior quædam a Deo profecta illustratio ac inspiratio, quæ ordinem naturalem non supergreditur. Quam ad rem probandam Cassianus ipse colla. 13. cap. 12. sic dicit: *Denique non amisisse humanum genus post prævaricationem scientiam boni, etiam Apostoli sententia evidentissime declaratur, qua dixit: Ostendunt gentes opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum*, Rom. 2. Nec hominem tantum bonum nosse, sed etiam ad illud propensum esse asserit, dum ait cap. 12. *Dubitari ergo non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Sed hæ ad bonum propensiones cum sint naturali consentaneæ rationi, ad naturam, cujus etiam Deus auctor est, pertinent, & ad illam gratiam referuntur, quam Pelagius ipse vocabat legis, illustrationis, atque doctrinæ, tametsi gratia ipsa supernaturalis mediis, nonnunquam naturalibus utatur ad actus eliciendos supernaturales, tametsi Pelagius (quibus Massilienses non plane consentiebant) hæc omnia libertati hominis naturali ascriberet.

Concilium Arausicanum sibi potissimum habuit propositum Fausti ceterorumque Semipelagianorum condemnare doctrinam negantium necessitatem gratiæ prævenientis. At ea stabilitur necessitas can. 3. *Si quis per humanam invocationem dixerit gratiam Dei conferri, & non potius ipsam facere ut a nobis invocetur, contradicit Isaiæ vel Apostolo dicenti, inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Similiter canon. 6. *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus & pulsantibus misericordiam dicit conferri,*